

tineat, vt similes efficiamur alicuius, quam vt ab aliquo, quod habere velimus, auferamus. Atque vt tota haec ratio ad id quod quaerimus, accommodetur. Si Ciceronem recte imitabere, talis eris, qualis ille. Nam tali locutioni tam emendata, tamque eleganti vteris, quali vsus est ille, eodem modo verba collocabis, eisdem quasi insignibus orationem distingues, simili ratione de tenuibus submis- se, de mediocribus temperate, de grauibus denique grauter dices. Breuiter nihil erit in toto veluti corpore orationis, quod non erit elegans, nitidum, aptum, pulchrum. Hic si aliquod vocabula a Iureconsultis aut Medi- cis, aut Theologis fueris imitatus, non conti- nuo illos imitabere: nam cum imitationis proprium sit, talem efficere, qualis sit ille, quem sibi aliquis ad imitandum proponat, il- lud autem sumere ab aliquo aliquot vocabula non efficiat continuo similem eius, a quo su- mas, licebit certe vnum aliquem solum imita- ri in loquendo. De qua re, vt paulo enoda- tius agam, quis existimabit eum esse Cice- ronis similem, qui singula illius vocabula ca- que non iuncta more eius, proferat? nemo profecto, qui modo sapiat. Est igitur imita- tio posita in coniunctione verborum, atque structura in toto quasi corpore orationis.

Quod